

runt, ortum profectumque hoc malum sentit Hieronymus: sed à Priscilliano homine, vt omnes autores scribunt, imprimisque Isidorus, & ipse Hispanus, & Hispalensis Episcopus, Hispano. Hic ab Helpidio rhetore in fide institutus & edocetus est: Helpidius autem ipse à Marco quodam Monacho, qui Ægyptia Memphi profugus, propter Valentis edictum de reuocandis ad suas curias & ad publica munera subeunda, Monachis (vt apparet ex l. Quiddam ignaviæ sectatores. C. De Decurionibus lib. 10.) venit in Hispaniam: sed iam Gnosticorum, & Manichæorum labore & veneno planè tabidus & infectus, quemadmodū inter Monachos errores omnne genus aluntur. Ita igitur fascinatus Priscillianus, errorem suum in Hispania sparsit. sub Gratiano imperatore, & Damaso episcopo Romano, circa annum à Cristo passo 348. et si Sigeberto tardius hoc malum propagatum videtur: sed propagationem non autem originem ipsam spectauit Sigebertus. Gratianus autem & audie exceptus à plurimis in Hispania, imprimis ab Instantio, & Saluiano episcopis, à quibus Priscillianus ipse episcopus constitutus est in Laletanis populis (qui sunt citioris Hispaniæ, vt Plinius lib. 3. cap. 3. scribit) Adygino tamen Cordubensi episcopo reclamante, & eum errorem grauiter oppugnante. Peruicit tamen hæc lues & obtinuit, ita vt non tantum Hispanias, sed etiam Gallias, & in Italia plurimos corrumperet. Sed & in Africanas ecclesias, traiecto mari, peruenit, vbi à nonnullis excepta, retentaque est. Itaque quod Priscillianistæ docebant de mendacio & periurio, illud nimirum religionis, causa esse concessum, multis etiam in
bb. ii.